

Et ego Obertinus de Cuerdy de Fontanili publicus Imperiali auctoritate Notarius suprascriptum instrumentum receptum per infra scriptum nobilem Seraphinum ejus abbreviaturæ tradidi, & scripsi, & de ejus commissione, & præcepto, & me subscripsi, signumque meum apposui, consuetum. Et ego Seraphinus de S. Mariæ Niciæ publicus Imperiali auctoritate Notarius ex auctoritate, & bailia mihi concessa per prælibatum Dominum Marchionem ec. suprascriptum instrumentum, prout stat, scribi, poni, & fieri feci per supra scriptum Obertinum Notarium in meis Imbreviaturis, & in meo Protocollo appposito signo, & in testimonium præmissorum ecc.

Synodus Diocesana pro subsidio caritativo Aq. Ep. solvendo cum aliquibus aliis decretis.

370

M C C C C X L.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis Domini 20 MCCCCXL., indictione III., die VI. junii in Ecclesia Cathedrali Aquensi præsentibus Petro de Sismondo, Antonio de Porta Clerico Aquensi, & Dominico Bocio de Cartoxio Clerico testibus vocatis, & rogatis, ac Francisco de Castello de Trixobio. In quorum testium, & mei Notarii infra scripti Bartholomei Calevarii Notarii publici, ac Notarii Curiae Episcopalis Aquensis noster in Christo Pater, & D. D. Bonifacius Episcopus Aquensis, & Comes celebravit synodum generalem, in qua quidem ordinatum, factum, ac deliberatum fuit per Dominos Archipresbiteros, Priores, Canonicos, Presbiteros, & Capellanos, ac Rectores infra scriptos.

Primo quod subsidium alias impositum per Clerum Aquensem causa subveniendi Reverendo in Christo Patri, & Domino Episcopo pro eundo ad Concilium Basiliense sit cassum, irritum, & vanum, & quod eundem Dominum Episcopum quitat, liberavit, & absolvit a quibuscumque per eum receptis de dicto subsidio imposito ad rationem de ducato cum dimidio pro singula libra registri attentis expensis, & aliis factis per eundem Dominum Episcopum tam in Mediolano, quam alibi ecc.

Item quod de novo imponatur subsidium unum caritativum ad rationem de ducato cum dimidio pro singula libra, quo gratis subvenire volunt ipsi Domino Episcopo, attenta inopia, & paupertate ejusdem solvendum per terminos infra scriptos, videlicet in festo Beatae Mariæ mensis augusti proxime venturi dimidiam partem, & in festo Nativitatis Domini nostri proxime venturi aliam dimidiam.

Item quod non sit aliquis sacerdos dioecesis Aquensis, qui in baptizando permittat esse plures, quam tres compatres, computatis maribus, & feminis sine licentia Domini Episcopi sub poena florenorum decem mensæ Episcopali applicandorum.

Item quod Ecclesia B. Catherinæ de loco Ruxiglioni superioris erectæ de novo in Parrochialem Ecclesiam registretur in libris quinque.

Item quod omnes sacerdotes per dies teneantur, & debeant publice in Ecclesiis eidem commissis in dicta dioecesi nunciare pro parte ipsius Domini Episcopi, quod omnes, & singulae personæ

dictæ dioecesis, quæ dispensare debent aliqua legata, dispensasse, dispensare debeant legata prædicta infra tempus a jure statutum: aliter ipso termino elapso præfatus Dominus Episcopus ipsa legata dispensabit prout de jure debet, & quod de ipsis nunciationibus ipsi sacerdotes confici faciant publica instrumenta, ut cum opus fuerit possit de ipsis haberi notitia.

Hujus anni die 21. novembris hoc aliud in capitulari archivio reperi decretum ab Episcopo editum.

Adest prohibitio, ne plures Canonici, & Presbiteri, & Clerici præsumant ire cum petitis in pedibus in choro, seu portantes petitus in pedibus in choro, & ubi sunt taxellati in Ecclesia Cathedrali Aquensi, excepto ab ostio claustrum intrando in sacristiam, & de sacristia egrediendo.

Literæ Episcopi commendatitiæ pro constructione hospitalis S. Antonii de Uvada.

M C C C C X L I V.

371

Bonifacius Dei gratia Episcopus Aquensis, & Comes universis, & singulis Archipresbiteris rectoribus ec. salutem in Domino. Adeo favorabiliter oculos nostræ mentis erigimus, & eidem libenter annuimus, quæ & animarum salutis, & proximorum pariter concernunt utilitatem, & commodum. Hinc est quod cum extra locum Uvadæ Aquensi nostræ Dioc. apud Ecclesiam B. Antonii confessoris in beneplacito nostro, auctoritateque, & licentia nostra pia quorundam de loco ipso mens, & intentio mota sit ad ædificium pro hospitalitate, & ad recreationem Christi pauperum erigendum in Dei laudem, & ejusdem S. Confessoris honorem, expediatque juxta nobis factas veras collationes de multis subsidiis tam realibus, quam personalibus ad opus ipsum construendum ipsius imminente operis principio providere, cum vero non adsint ipsis ad opus hoc perficiendum facultates ecc. Reliqua ut in carta n. 321.

Decretum Bonifacii de Monteferrato præscribens formam muniendæ civitatis Aquensis.

M C C C C X L V I I.

372

Anno Domini MCCCCXLVII. XXX. januarii ordinationes factæ per D. Bonifacium de Monteferrato super fortificatione civitatis Aquis. Primo quod fiat turris una in loco medio inter portam Cupæ, & Malecantonum in loco medio, & æquali distantia. Item in angulo Malecantonum fiat turris una grossa rotunda versus murum civitatis per sufficientem distantiam cum bombarderiis habilibus ad defendendam portam Cupæ, & portam Bollentis. Item quod fiat alia turris in angulo portæ Franchæ respiciens ad defensionem portæ bulientis, sive revellini ejusdem portæ, & usque ad Sclaviam. Item quod fiat alia turris competens ad Torratiam cum bombarderiis competentibus, & opportunis. Item quod fiat alia turris in angulo contiguo domus Francisci Lingerii, & Magistri Stratæ cum bombarderiis respicientibus versus portam Burgi novi, & versus Sclaviam.